ſunt ſtricti iuris,& in illis argumentum à contrario ſenſu locum minime habet[licet in iure communi valeat] & ſic ea non confirmando relinquuntur in robore,quod habẽt. Secundo reſpondetur, ꝙ hoc priuilegium licet non ſit in vſu,habet modo ſuam vim: quia priuilegia Minimorum [& per conſequens aliorum Mẽdicantium]fuerunt confirmata à Pio.4. & ab alijs Summis Põtificibus cum clauſula ex certa ſciẽtia,& de plenitudine poteſtatis,quę clauſula vt optime docet Pater Emanuel To.1.qq. q.8.art.1.& 3.confirmat etiam priuilegia quæ ſunt per non vſum abrogata.Quid? ꝙ & Sixtus.5.in noua confirmatione omnium priuilegiorum conceſſorum noſtrę Seraphicę Religioni ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis confirmauit dicta priuilegia,ſubticẽs illud verbum,quatenus ſunt in vſu.Et hoc cõfirmatur : nam ipſe Summus Pontifex non ſolum confirmauit dicta priuilegia,ſed etiam de nouo cõceſſit: & per cõſeques de nouo cõceſſit ipſis Minoribus per viam cõmunicationis priuilegiũ Nicolai.5.& Antonij Cardinalis cõceſſum Monaſterijs Ordinis Diui Hieronymi:& priuilegium Iulij.2 conceſſum Fratribus Minimis.Quę cum ſint tam recenter